A. Ω.

DISSERTATIONEM MEDICAM DE VOMITU CRUENTO,

Sub Præsidio

Viri Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi atque Experientissimi

DN. JOH. VALENTINI SCHEID,

Med. D. & Profess. P. Capituli Thoman. & Facult. Decani,

Dn. Patroni atque Præceptoris ætatem venerandi,

Solenni Medicorum Examini subjicit

JOH. JACOBUS SACHS, Argentor.

AUCTOR.

Ad diem 2[illegible] Martij M DCC IX.

ARGENTORATI,

Literis JOHANNIS FRIDERICI SPOOR.

VIRO

Magnifico, Amplissimo, Consultissimo atque Prudentissimo,

DOMINO

FRANCISCO REISSEISEN,

REIPUBLICÆ ARGENTINENSIS

CONSULARI,

TREDECIMVIRO

AC

UNIVERSITATIS

SCHOLARCHÆ

gravissimo,

Patrono, Avoque suo, omni honoris cultu æternum prosequendo,

Specimen hoc Academicum

Ob innumera in se collata beneficia gratam contestaturus mentem,

ea, qua par est, animi submissione,

dedicat

Obsequiosissimus Nepos,

JOH. JACOBUS SACHS, Argent.

Proœmium.

QUod ſi incomparabilem corporis humani ſtru-cturam intuemur, innumera ſane ſunt, quæ oculos noſtros in admirationem rapiunt. Inter illa verò haud poſtremus eſt tener iſte ſenſus, quo quid ſibi utile, quidve noxium ſit, percipere ſolet Natura. Prædita hunc in finem eſt copioſiſſimis nervulis, hinc inde in corpore diſtributis, quibus mediantibus pro diverſitate rerum, tàm inquilinarum, quàm adventitiarum, in aliis atque aliis organis vario afficitur ſenſu, ut ſuperflua corporique ſuo noxia, variis in locis continuo ſecernere, atq; excernere queat. Non vacat jam, ſingula, in quibus hoc peragit, percurrere loca; ſufficiat, unicum allegaſſe Ven-

triculum. In hoc assumta digeruntur, atque in chylum convertuntur, quo peracto, relegantur ad intestina, ut succus hic lacteus, in sanguinem convertendus, sequestretur à fæcibus crassioribus, per intestinorum tractum, atque anum ejiciendis. Non semper autem hunc ordinem servat Natura, sed sæpissimè ex incongruis impressis sensationibus ἄνω per os iterum ejicit assumta; quandoque verò gratissimum alias sibi thesaurum, puta sanguinem, per eundem locum evacuat. Affectus respectu Vomitus simplicis oppidò rarus, interim ratione materiæ excretæ summæ considerationis, cum non tantum varia sanitatis detrimenta, incommoda, pericula, sed ipsam etiam mortem post se trahere possit, & sæpissimè soleat. Placuit itaque, hanc materiam pro Specimine Academico eligere, eamque Theoretico practicè, quantum tenues sunt permissuræ vires, declarare.

Caput I.

De Historia.

Solenne quidem est aliis, materiam aliquam describturis, ante omnia definitionem tùm nominalem, tùm realem in medium producere; & quidem non illaudabili conatu, cum hac rei οὐσίαν seu essentiam proponendo; illa verò nominis ἔτυμον explicando, innumeris sæpius confusionibus præripiant occasionem ipsique tractationi haud parum lucis affundant. Facile verò, si labori huic supersedero, veniam me impetraturum esse, spero, cum talem materiam tractandam susceperim, quæ quoad nomen nulla difficultate laborat: rem ipsam verò quod attinet, ex historica affectus descriptione claram atque manifestam fore, mihi persuadeo.

Contingit autem Vomitus in genere, quando Natura fibras Ventriculi carneas fortius atque arctius constringit, contentisque per pylorum exitum præcludit; versus orificium verò ipsius sinistrum eadem compellendo per gulam atque os iterum excernit.

Eveniunt ejusmodi motus satis familiariter hominibus, ita, ut vix quisquam sit, qui non per vitam vomitu simplici sæpius corripiatur, ventriculo, vel per sympathiam, vel idiopathiam affecto.

In ipso conatu vomitionis adest nausea, atque salivæ in oris cavitatem effusio: secundum effatum.

Hippocr. Coac. præn. *Qui vomituri ſunt; prius illi ſalivant.* Conjuncta eſt Cardialgia, tenſio atque ſtrictura dolorifica in ſuperiori Ventriculi orificio: ſuccedunt anxietates, atque anguſtiæ præcordiales: effunditur hac ratione materia in Ventriculo contenta, unico vel pluribus vomitoriis actibus.

Finito jam paroxyſmo, motus iterum ceſſant, cum ſenſibili patientis emolumento; ubi imprimis notari meretur, quod in hoc ſtatu conſtitutus patiens, antequam materiam rejiciat, plerumque pallore liveſcat, atque horripilationem, tum leviorem, tum graviorem, quinimo quandoque rigorem, atque tremorem, tum etiam frigus extremarum experiatur.

Sunt hæc recenſita Vomitui ſimplici cum noſtro affectu communia. Facilè tamen ab invicem diſtinguuntur, quod in Vomitu cruento fortiori conatu, majoriq; vehementia adſint enarrata ſymptomata, cum inſigni virium proſtratione ad lipothymiam uſque evecta, quandoque conjuncta. Materia inſuper in hoc, vel ſanguine permixta, vel pure ſanguinea conſpicitur, quæ in altero ſimplex, aliisque magis coloribus tincta obſervatur.

Sanguinem autem in noſtro affectu excretum quod attinet, is vel cibis atque potui eſt immiſtus, vel ſubſequitur ſimpliciorem demum actum vomendi magis ſincerus, atque purus, in grumos quaſi coagulatus, colore ad nigredinem vergens, aut, quamvis rarius, actu niger, cujus pro ratione cauſarum modò plus, modò minus ejicitur.

Quandoque excretiones has ἄνω inſtitutas comitantur dejectiones nigræ, picem vel Caſſiæ medullam

lam repræſentantes. Vid. *Fernel. Pathol. de part. morb. & ſymptom. Lib. VI. Cap. III.* quale quid Felix *Platerus* quoque in Celeberrimo JCto inſtar atramenti, ἄνω καὶ κάτω excretum vidit. *Prax. Tom. II. Cap. IX.*

Quod ſi imposterum revertatur motus hic evacuatorius, ſervat vel ſtata ſua tempora, ut nimirum, vel ſingulis menſibus in fœminis, aut vernali & autumnali in viris recurrat, vel minus. Iſte plerumque intra modum, atque menſuram permanet, hic magis ad inordinatos motus pronus eſt.

Qui ſpontaneo Naturæ conatu absque violenta externa cauſa cooritur, familiaris eſt viris, temperamento ſanguineo-melancholico, ſanguineo-cholerico, aut ipſo melancholico ſic dicto præditis, ad hæmorrhoides pronis, vel malo hypochondriaco obnoxiis, tum iiſdem fœminis, menſium defectus ſentientibus, aut hyſterica affectione gravius laborantibus, imò prægnantibus etiam, quamvis in fœminis utique frequentior ſit, quam viris.

In hunc affectum ſi conjiciuntur hypochondriaci viri, vel hyſtericæ paſſioni obnoxiæ fœminæ, perſentiſcunt ante evacuationem hanc vomitoriam varias circa primas vias turbas; in abdomine verò flatulenta, ſpaſmodica, in quibusdam ad latus dextrum, in quibuſdam ad ſiniſtrum ſeſe extendentia pathemata, quæ miras ſæpius palindromas, atque evagationes inſtituunt, donec ſanguis alicubi exitum ſortiatur. Egregium hujus rei exemplum habet *Greg. Horſt. L. IV. Obſ. V. Ed. in fol.* ubi mulier varia tenſiva atque gravativa incommoda, modò in dextro hypochondrio, modò in pede, modò in mammilla, modò brachio dextro, cum

dolore

dolore punctorio atque insigni ardore, partium insuper livore atque tumore conjuncta patiebatur, quæ, superveniente tandem sanguinis vomitu, oppido requiescebant.

Quo expeditius nimirum Natura finem assequitur, eo minora præcedunt incommoda, eo pauciores etiam patientes sentiunt dolores; unde sæpius paulò agilioris temperamenti homines hunc affectum experti, de ejusmodi turbis nihil sciunt.

Appetitus constat ipsis extra paroxysmos, sic satis quidem, præsertim, quibus justa quantitate evacuatur sanguis; quod si verò gravius hoc morbo laborent, deficit sensim sensimque, donec patientes, vel in paroxysmo accedente quandoque acuti schematis febre, aut nimia sanguinis copia rejecta, jugulentur, vel hectica, aut hydrope expirent; illa quidem ficciores, hoc succulentiores.

A causa violenta in Vomitum cruentum prolapsi, sunt quidem ab istis hypochondriacis turbis, nisi jam anteà dispositio adsit, etiam liberi; interim majori periculo subjacent, quàm qui energiâ Naturæ in eundem conjiciuntur; & nisi intereant, plethoricum autem possideant corpus, facilè recursibus fiunt obnoxii, eundemque tandem, ac præcedentes sortiuntur exitum.

Ultimo loco constitutionem patientium hoc affectu defunctorum historiæ annecto; ubi notandum, quod vasa brevia admodum dilatata in quibusdam apparuerint; in aliis verò discissum, atque disruptum, vel erosum quid in Ventriculo conspectum sit. Qui vivi in hypochondrio dextro dolores perce-

cepere, ſcirrhos atque nodos hepatis præ ſe ferunt, quibus autem moleſtiæ in ſiniſtro magis hypochondrio aderant, indurationes, inflationes, inſolitamque lienis magnitudinem oſtendunt.

CAPUT II.

De Parte affecta, atque Viis ſanguinem admittentibus.

FUndamento hac ratione noſtræ diſſertationis poſito, ad ſubjectum, ſeu partem læſam progredimur, atque ipſius mechanicam conformationem, earumque partium, quæ in noſtro affectu maximè concurrunt, cum eadem communicationem conſideramus. Ventriculum eam partem eſſe, ex qua immediate ſanguis iſte grumoſus, nigricansque excernitur, innuimus jam in modo deſcripta hiſtoria. Hujus igitur ſtructuram ut examinemus, ad Anatomica diſcurrere placet, & ex iis, quæ nobis uſui eſſe poterunt, depromere.

Eſt nimirum Ventriculus velut ſaccus quidam oblongus, inſtar tibiæ utricularis, in ſiniſtro præcipuè hypochondrio immediatè ſub diaphragmate ſitus, ad cibum ex œſophago recipiendum, eumque in chylum convertendum deſtinatus.

Duobus gaudet orificiis, uno ſuperiori, ſtomacho ſtrictiori acceptione denominato, altero inferiori, pyloro dicto; illud advenientes cibos fibrarum ſuarum relaxatione in Ventriculum admittit, hoc re-

ſolutis ad inteſtina exitum concedit, & mediante circulo quodam, valvulæ ſimili, ſeſe iterum conſtringere ſolet.

Quatuor Ventriculus habet tunicas: membranaceam, carnoſam, nerveam, atque glanduloſam, ſeu cruſtam villoſam; quarum tres priores ejus orificia, atque dorſi longitudinem firmioribus ac validioribus fibris ſtringunt, illaque hac ratione valdè ſenſilia reddunt, annotantibus *Verheyen Anat. Tractat. II. Cap. IX. & Stahl Theor. Med. ver. Path. Sect. V. Membr. II. Art. III.* Moventur hæ fibræ in ſtatu naturali à ſiniſtro verſus dextrum orificium, aſſumtaque placide propellunt ad inteſtina; in ſtatu verò p. n. invertitur earum motus, ut contenta ἄνω per os iterum ejiciantur.

Fundus etiam ejuſdem non adeò robuſtus eſt; unde faciliori ſanguinis irruptioni mechanica hac ſua ſtructura patet.

Vaſa, quæ habet, per tunicam nerveam in ſubſtratas glandulas copioſiſſimè diſcurrunt. Recipit arterias à Cœliacæ ramis gaſtricas, & gaſtroepiploicas ſic appellatas; venæ verò ipſius tendunt partim in truncum Venæ portæ, partim in ejuſdem ramum ſiniſtrum: unde gaſtricæ tàm dextræ, quàm ſiniſtræ, & gaſtroepiploicæ; ex ipſo autem fundo anteriori ſub orificio ejus dextro breves quædam venarum ramificationes, in venam ſplenicam, ubi lieni immergitur, ſecedunt, Vas breve, vel potius cum *Verheyen* vaſa brevia, quia plures ſunt, appellatæ.

Merentur hæ ramificationes Venarum ad Venam portæ tendentes benè annotari: ſunt enim

nim ipsæ, quæ sanguinem in statu naturali à Ventriculo ad lienem, atque hepar deducunt; in statu verò p. n. eundem in Ventriculi cavitatem effundunt.

Ubi quidem benè meminimus, quod *Thomas Bartholinus Histor. Anat. Rar.* 36. *Cent. III.* sanguinem hunc coagulatum ab hepate per porum choledochum; & *Crato in Consil. Med.* 68. *L. VI.* à venis meseraicis in intestina, & hinc ad Ventriculum deferri, pronunciet; *Fingerlinus* autem in *Observ. Horst. V. L. IV.* tantam quantitatem, qualem sæpè in Vomitu cruento cernimus, ex ipsius venæ portæ ramis provenire posse neget, & hinc ad arteriam magnam & venam cavam confugiat.

Verum sicuti *Bartholini* sententiam Anatomicis legibus repugnare, ita Cratonis assertum ex eo fundamento rejiciendum esse existimo, quod cum ratione minus conveniat: deberet enim per ambages ad Ventriculum pervenire sanguis, cum tamen compendiosiori modò per venas Ventriculo proprias illic immediatè possit afferri, & effundi, quod ipsum confirmare videtur sensus iste, quem patientes in Ventriculi fundo, tempore expulsionis sanguinis, percipere solent. Neque est, quod *Fingerlinus* easdem venas magnæ sanguinis quantitati emittendæ impares autumet, poterit enim eundem convellere avtopsia Celeberrimi *Wedelij in A. N. C. D. I. A. IX. & X. Obs. XX. atq; Pathol. Dogmat. p. m.* 481. mulierem gravidam post quartanam in Vomitum cruentum prolapsam adducentis, quæ morbo hoc defuncta vasa brevia instar calamorum scriptoriorum dilatata offerebat, & nullum fere sanguinem tàm in arteriis, quàm venis ostendebat.

 Quid

Quid etiam in ramo hæmorrhoidali, magnam affiniatem cum venis gaſtricis habente, in hæmorrhoidibus contingat, ut non tantum notabilem ſanguinis quantitatem emittat, ſed inſignem inſuper quandoq; adæquet craſſitiem, teſtari poterit *Veſalius*, qui in Viro hæmorrhoidariis affectibus expoſito, tandemq; demortuo ad digiti magnitudinem diſtentum obſervavit hunc ramum. Et memini, me aliquando in Theatro noſtro Anatomico eundem egregiè dilatatum in puella 13. aut 14. annorum, quo tempore menſes erumpere ſolent, conſpexiſſe. Ne quid jam dicamus de ramorum gaſtroepiploicorum capacitate, non adeò exigua, quin magna ſanguinis quantitas per eandem poſſit excerni.

Huc porrò facit, quod Vena portæ valvulis non æque, ac aliæ venæ, ſit inſtructa, teſte *Riolano in Anthropogr. & Excellent. Stahl Theor. Med. ver. Pathol. Sect. V. Membr. II. Art. III.* quod ipſum, quantum ad congeſtionem ſanguinis, atque faciliorem recurſum ad Ventriculum, aut alia loca contribuere poſſit, collectu facile eſſe, arbitramur.

CAPUT III.

De Cauſis, earumque Pathologicis rationibus.

CUm non parum ad felicem morborum curationem contribuat accurata cauſarum cognitio; variat enim pro ipſarum diverſitate therapia; ideò operæ pretium requirit, ut diligenter in eaſdem inquiramus

mus, modum fiendi, atque agendi dilucide exponamus, ut eo felicius, atque tutius tandem aggredi possimus curam.

Duplici autem modo Vomitus cruentus nobis considerandus est, vel prout propter causas internas activè suscipitur, vel prout causæ externæ, atque violentæ magis eundem producunt. De hoc agemus infrà.

Ille, qui sponte absque causis externis manifestioribus exoritur, causam efficientem agnoscit ipsam Naturam, seu ens illud activum, quod in statu naturali actiones vitales, motum nimirum sanguinis, & reliquorum humorum circulatorium placida solidarum partium modò constrictione, modò relaxatione peragit, atque hac ratione superflua, & noxia continuò secernendo, & excernendo sanguinem in optima crasi, atque temperie conservat, ac præcavet, ne in corruptionem, in quam ex sua natura summe pronus est, ruat; in statu verò p. n. si placidis ejusmodi motibus finem propositum non potest assequi, tonum earundem partium intendit, majora molimina, fortioresque materiis istis eliminandis adhibendo conatus.

Clarum illud est in Vomitu: pallescunt in paroxysmo patientes: constringitur aliqua ratione corporis habitus exterior; unde sanguis propellitur ad interiora, & in specie etiam ad ipsum Ventriculum, ut ibi materia hærens affusione seri eliquetur, præparetur; sentit hinc patiens à quantitate sanguinis, ibi congesta, anxietates in illa regione: effunditur major salivæ

copia in fauces,orisq; cavitatem,ad partes, materiæ excretioni dicatas,lubricandas; ipſumque vomitorium actum facilitandum; modo verò,quando impeditius res ſuccedit, relaxatur iterum tonus fibrarum, humoresq; ab interioribus ad exteriores corporis partes repelluntur; unde exæſtuationes, ſudores hinc inde, præcipuè verò in fronte, erumpentes. Luditur hæc ſcena, usque dum hoſtis eſt ejectus, in Vomitu tàm ſimplici, quàm cruento, in hoc tamen major adhibetur apparatus inſtrumentalis, cum non tantum materia in Ventriculo contenta, ſed ſanguis inſuper ex propriis ſit excernendus vaſculis, quod patientes ſentiendo exprimunt; Sie ſpühren es / wie das Geblüt ihnen gantz warm in den Magen lauffe/ præcipuè quando paulò largius effunditur; quibus peractis atque finitis, omnia fiunt tranquilliora.

Cauſæ proximiores, quæ Naturæ occaſiones præbent, ejuſmodi motus, ad ſanguinem per Ventriculum evacuandum, inſtituendi, poſſunt eſſe variæ:

I° Quidem in mulieribus, menſium, lochiorum, aut hæmorrhoidum imminutio, aut ſuppreſſio. Sunt hæc omnia non tantum, innumeras circa meſenterium,hepar,pancreas,lienem, inteſtina, moleſtias & turbas concitandi, aptiſſima, ſed tandem etiam vomitum cruentum in actum deducendi, efficacia. Cùm enim ramificationes ab ipſo ramo hæmorrhoidali,tàm in cervicem,quam vaginam uterinam diſſeminentur, quæ tempore fluxus ordinati menſtrui, una cum aliis illic diſperſis vaſculis, exitum ſanguini concedunt,fit,ut,quando imminuitur hic flu-

xus

xus, major ſanguinis quantitas in conterminas Venæ portæ ramificationes, & præcipuè ramum ſplenicum, in quem hæmorrhoidalis in pleriſque ſubjectis ſeſe exonerat, redundet. Proximus hinc regreſſus eſt ad ipſum ſplenem, atque vicina vaſa ad Ventriculum pergentia; unde arbitraria molimina à Natura, aliunde onus ſuum, quod per ordinarias vias non poterat, depoſitura, oriuntur.

Quod ſi verò non tam facile exitum invenit ſanguis, tunc à ramo ſplenico ad truncum Venæ portæ, vaſa meſeraica, atq; ipſum hepar propellitur; unde modo dilatationes, modò conſtrictiones horum vaſculorum contingunt, à quibus varia tùm paſſiva, gravativa, flatulenta; tum activa, ſpaſmodica, vellicatoria pathemata deducenda veniunt. Quæ poſteriora motus naturæ activos eſſe exiſtimo, quibus mediantibus ſanguinem in his partibus congeſtum exonerare, aut ſi illud propter viarum indiſpoſitionem in effectum deduci non poteſt, ſaltem attenuare, & diſcerpere conatur, ne in ſpiſſum coagulum, in actualem putredinem ruiturum, abeat, aut hic illic in viſceribus nodos, atque ſcirrhos formet, qui inflammatorias acutas febres, aut lenta, in hecticam, vel hydropem ſeſe terminantia phœnomena, interdum verò propter liberum interceptum ſanguinis circulum hæmorrhagias varias, rebelles ſanè poſthac, atque pertinaces poſt ſe trahere ſolent. *Vid. Thoner. Obſ. L. I. p. m.* 140. *Wedel. Pathol. Dogm. p.* 481.

Hos motus diu ſæpius inſtituit, donec aliquando voti ſui fiat compos Natura, ſicut in hypochondriacis, & hyſtericis apparet, qui poſt diutius perpeſſa ſua mala, tandem Vomitum cruentum, aut hæmorrhoides

ali-

aliquando experiuntur, non absque notabili, si justa quantitate procedat sanguis, corporis euphoria. Quod si autem quantitate excernendi peccet Natura, ibi humores sensim sensimque spissiores redduntur, fiunt hinc inde stases, subsequuntur cachexiæ, œdemata, hydropes, hecticæ, & ultima tandem rerum catastrophe, mors.

Ubi tamen propterea non excusandus est stolidus ille quorundam ausus, quando tàm menses, quàm hæmorrhoides largiori paululum quantitate fluentes per rudiora statim adstringentia cohibere conantur, nullo respectu habito ad consuetudinem, aut plethoricam corporis constitutionem. Facillime autem per ejusmodi remedia fluxus posthac planè supprimitur, visceribus, præcipuè lieni, laxiori structura prædito, sontici inducuntur infarctus, quibus Natura activa sua opponit molimina, quandoque verò ultimos etiam adhibet conatus, fusco-nigricantem materiam per Ventriculum rejiciendo, plerumque cum funesto patientis eventu. Conf. *Stahl Dissert. de hæmorrh. intern. p. m.* 5. aut magis generales instituit motus, arthritodea aut cephalalgico-hemicranica schemata repræsentantes. Vid. *Schenck fol.* 360.

II° Inter causas proximas pono **motum hæmorrhoidalem**, aut **fluxus actualis imminutionem**, vel **suppressionem in viris.** Sentit hinc sexus hic æque ac sequior in abdomine, hypochondriis, & primis viis dolorifica sua pathemata, in Vomitum cruentum, nisi solita evacuatio restituatur, sæpius migrantia.

Observantur tamen hæc eadem atrociora in mulieri-

lieribus, quippe quæ, cum largioribus, atque frequentioribus sanguinis evacuationibus sint obnoxiæ, patiuntur, ab iisdem impeditis plura etiam incommoda. Speciale quoque illud habent, quod statis magis temporibus, & quidem menstruis, si semel per vomitum sibi exitum comparavit sanguis, revertatur vomitoria hæc evacuatio: non sanè alia ex causa, quam quod sexus hic per singulos menses sanguinem per loca consueta, emittere solet; unde hanc periodum Natura retinet: cùm in viris, si quem observat ordinem, magis vernum & autumnale tempus eligat, quia his anni partibus hæmorrhoidibus obnoxii magis observantur.

III° Causis proximioribus addi meretur generalis Plethora. Hanc per certa loca, cuique ætati convenientia, deponere, moris est Naturæ. In infantili quidem, & puerili hocce per caput præstat: unde achores, tineæ, crustæ lacteæ, hæmorrhagiæ narium. In adulta magis ad pectus vergit: unde hæmoptyses, phthises, asthmata humida, & sicca. Procedit ab hac ad hæmorrhoides internas, &, nisi exitum illic invenit, varias hypochondriacas, colicas turbas, tandemque vomitum cruentum molitur. Et hæc etiam est ratio, cur affectus hic neque in infantilem, neque puerilem facile cadat ætatem, nisi forte per mere violentas externas causas illud contingat.

Ab hac plethora deduco Vomitum cruentum, qui ob amputata membra à Felice *Platero Prax. Tom. III. p.* 648. atque *Sennert. Med. Pract. Lib. III. P. I. S. II. Cap. XII.* allegatus; item ob ulcera diutius gestata, atq; consolidata, cujus observationem habuit *Rhodius Cent. II. Observ.* 65, exoritur. Natura siquidem in his tantum

 ex

ex assumtis conficit sanguinis, quantum universo alias corpori prospiciendo satis erat; jam verò, parte per amputationem ablata, aut portione serosa, per ulcera anteà evacuari solita, retenta, non amplius tantum consumitur, unde Plethora exurgit, effectui huic cruento præbens occasionem.

Ad causas remotiores pertinent motus intempestivi, labores, ac exercitationes insuetæ, clamores, & vociferationes inconditæ, cibi aromatibus acrioribus conditi, vina generosiora, ex animi pathematibus ira præprimis, quæ omnia M.S. commovendæ, atque exagitandæ inserviunt. Econtra potus actu frigidi, cibi flatulenti, acidi &c. crasin humorum alterando, & spissitudinem producendo agunt.

Progredimur nunc ad causas externas, atque violentas, seu istam Vomitus cruenti speciem, ubi propter vasorum ruptionem, discissionem, corrosionem, adeoque sanguinis in Ventriculum liberum effluxum, aut aliunde advenientem, deleteria vi armatum, hostem, M. S. sese immiscentem, ad actionem hanc evacuatoriam suscipiendam, compellitur Natura.

Violentum tale exemplum habet *Riverius Observ. XXVI. Cent. IV. p. m.* 640. ubi rusticus ab hausta hirudine in Vomitum cruentum incidit. Cui similis est Celeberr. *Wedelij* Obs. in Sartore 36. annorum, à lumbricis affectum hunc eodem modo experto. *Ephem. N. C. D. II. A. I. p.* 19. Conf. quæ habet *Scultetus Armam. Chir. Part. II Obs.* 58. de Juvene, à vulnere per gladium Ventriculo inflicto, in copiosum Vomitum sanguineum

guineum prolapſo. In hiſce caſibus occupatam quidem eſſe Naturam, ut ſanguinem in Ventriculum effuſum excutiat è corpore; ipſam verò cauſam efficientem hujus effluxus dici non poſſe, res ipſa loquitur.

Eundem effectum producere quandoque ſolent medicamina fortiora, atq; acriora, vomitoria nimirum, & purgantia in majori doſi adhibita: qualia ſunt helleborus, aſarum, crocus metallorum, ſcammonium, colocynthis, aliaque, quibus in ſpecie accenſere libet, in noſtris oris non adeò ignotam, mille florum curam, cujus fautores Ventriculo imbecilliori præditi, præpoſtero uſu, tanta vi ſæpius exagitati ſunt, ut poſt dejectiones fæculentas, tandem etiam ſincerus ſanguis ἄνω καὶ κάτω excretus fuerit, uti quidem ſpecialia hujus rei exempla in hac urbe nota ſunt.

Neque ab hac claſſe excludendus eſt **Vomitus cruentus**, qui **Dyſenteriæ** quandoque ſeſe adjungere ſolet in *A. N. C. D. I. A. II. Obſ.* 44. *atque Hiſtor. morb. Vratiſl. p.* 91. annotatus. In quo, ſicut etiam præcedente, à medicaminibus fortioribus inducto, materia quædam externe adveniens primaria videtur eſſe cauſa, propter quam tales ſuſcipiuntur actus. Quæ ſi intimius immixta eſt ſanguini, atque humoribus, aut fibris partium ſolidarum, quid mirum, propter adhibitum apparatum eandem excernendi, aliquod vaſculum rumpi, aut relaxari?

Quamvis propterea non negaverim, aliquid ſpontanei Naturæ, ſanguinis evacuationem reſpicientis, quandoq; concurrere, atque complicari; cum in dyſenteria certum ſit, excretionem ſanguineam, non

ſemper propter extremitates vaſculorum eroſas, aut diſruptas, ſed potius ex ſpontaneo agentis conatu, propter finem quendam fieri. Teſtis ejus rei eſt iſta dyſenteriæ ſpecies, in qua purulenta magis, quam cruenta excernuntur, ubi materia acris atque vellicans, æque mordax eſt, excernitur etiam cum teneſmo, atq; torminibus Ventris, nec tamen ſanguinis effluxum producit; pejor eſt inſuper hæcce ſpecies alterâ cruentâ, majores anxietates, febrilesque exæſtuationes conjunctas habens: manifeſto indicio, quod excretio illa ſanguineâ non ſit mere paſſivum quiddam, ſed potius conamen Naturæ activum, fermentum dyſentericum, partim cum ſanguine eliminare ſatagentis.

Quicquid autem ſit, nihilominus & in hoc caſu ſanguis propter cauſas externe advenientes, M. S. atque humorum inſigniter commoventes, atque turbantes, non infimum ipſi inducturas damnum, imò forte penitus corrupturas, niſi pars ejuſdem excluderetur, evacuari videtur; eoq; modo hanc ſpeciem, à ſupra deſcripta vomitione, magis per ſe, atq; propter ſanguinem abundantem coorta, diſcernendam eſſe ſtatuimus.

Caput IV.

De Diagnoſi, & Prognoſi.

NE affectum noſtrum cum aliis confundamus, ejuſque veram aſſequarnur Diagnoſin, opus erit, ut partim ad materiam excretam, partim ad locum excernentem reſpiciamus. Sanguis, qui in noſtro affectu rejicitur nigricans, grumoſus; interdum verò

verò cibis & potui immistus ex ipso Ventriculo, præ-gressa nausea, forti vomitorio conatu excernitur.

Hinc ab Hæmoptysi facilè distinguitur, quod in hac sanguis absque dolore, ex ipsis pulmonibus evacuetur, floridæ atque spumosæ constitutionis: secundum effatum *Hippocr. in Coac. præn. Quicunque sanguinem spumosum vomunt, dolore infrà septum transversum non existente, de pulmone vomunt.* Neque etiam in nostro affectu tussis est conjuncta, uti quidem plerumque fieri solet in hæmoptysi.

Facile quoque à simpliciori sputo cruento, discernitur, quia hic sanguis ex gingivis, atque internis faucium partibus, vel sola expuitione, vel simplici screatu ejicitur.

In Pleuritide verò, & Phthisi, similibusque morbis striatim materiæ purulentæ comixtus ex pulmonibus provenit. Vid. *Joël. Prax. L. III. Sect. I. p. 278. Hautin. Schol. in Holler. de morb. intern. L. I. Cap. 27.*

Prognosin quod spectat, suppeditat nobis eandem Cous noster in Aphor. his verbis: *Sanguis sursum, qualiscunque sit, malum.* Et quidem, si in genere consideretur, manet utique res certa, cum Natura, sive ex pulmonibus, sive Ventriculo ejiciat sanguinem, in electione debiti loci exeernentis peccet. Sunt enim hæc organa vitalibus usibus destinata, quæ à congestione sanguinis in officio sibi concredito impediuntur, atque variis modis læduntur; imò, cum Natura inordinata ejusmodi loca eligens, utplurimum etiam minus ordinatos suscipiat motus, & quantitatem sanguinis excernendam non æque præpenderet, hinc uti-

 que

que ſemper ſuſpectum nobis eſſe debet hoc excretionis genus. Aſt, cum actio in ſe ſpectata ſit utilis quidam conatus, ſanguinis nimirum, vel quantitate, vel qualitate peccantis, evacuatorius, ac ſæpius, ſi perite à Natura adminiſtretur, cum euphoria hominum contingat, hinc modò laudatus Aphoriſmus non abſque limitatione eſt accipiendus.

Libet itaque ſpecialius magis, ſecundum ſupra ſubminiſtratam diſtinctionem, qua aliter vomitum à cauſis externis, atque violentis, aliter ab ipſa natura ſpontanee productum, conſiderandum eſſe aſſeveravimus, formare prognoſin: illum nunquam ſalutarem, ſed ſemper periculoſum eſſe dicimus; hunc autem, nempe activè coortum, ratione loci quidem minus laudabilem, reſpectu verô materiæ evacuandæ, dummodo quantitate non excedat Natura, aut febris acuta ſit conjuncta, minus malum, ſed interdum proficuum potius eſſe, ſtatuimus.

Intellexit hoc jam ſuo tempore *Plinius Lib. XI. Cap. XXXIIX. Hiſt. Nat.* ubi Macrino Viſco, viro Prætorio, & omnibus annis Voluſio Saturnino urbis Præfecto, qui nonageſimum etiam exceſſit annum, ſanguinis profluvium per os ſtato tempore accidiſſe refert. Et *Cardanus in Aphor. Hippocr. XXV. Sect. IV.* ſe vidiſſe matrem cujuſdam Florii in Saccenſi oppido, hoc affectu per 36. annos laborantem, quæ nonageſimum ſextum annum exceſſerit, affirmat. Simile quid refert *Thomas Bartholinus* de Viro Nobili Dano, qui hunc morbum, ſi ita dicere fas eſt, ſupra trigeſimum expertus eſt annum, cum maximo ſanitatis ſuæ emolumento, qui ſi ſupprimebatur, detrimenta atque pericula ſibi præ-

præſagiebat. *Hiſt. Anat. rar.* 36. *Cent. III.* Quod ipſum etiam *Schenck in Obſ.* 55. *&* 56. *Lib. III.* pluribus exemplis confirmat, eſſe nimirum evacuationem hanc fœminis loco menſium admodum familiarem, &, ſi arte, aut medicamentis reſtinguatur, laſſitudinem, aliaque producere mala. Conf. *Gregor. Horſt. L. IV. Obſ. V.* His adde *Ettmülleri* teſtimonium, vomitum periodicum ſpleneticorum, tàm cruentum, quàm non cruentum, ſaluberrimum eſſe, niſi nimius ſit, cui hæmorrhoides ſupervenientes levamen certum, atque tutum afferunt, declarans. *Oper Part. I Sect. VI.*

Ipſis quoque prægnantibus, ſi intra debitos ſubſiſtat limites, non ſemper uſque adeò eſt noxius. Nota mihi nobilis Matrona, quæ tempore geſtationis aliquoties coagulatum, & grumoſum evomebat ſanguinem, felix attamen non tam illius, quem tunc temporis geſtabat, ſed plurium adhuc ſubſequentium puerpera, atque adhuc ſanorum liberorum mater. Confirmat hoc *Obſerv. Solenandri Sect. V. Conſil.* 15. in muliere, per ſeptem menſes gravida, vomitum cruentum perpeſſa, filium nihilominus elegantem parturiente.

Quippe cum prioribus imprægnationis menſibus non ſemper tantum conſumat fœtus, quantum Natura ex ſubſiſtentibus menſibus retinet, fit inde, præcipuè ſi vita ſedentaria, atque lauta Diæta concurrat, plethora, quam propter vaſorum connexionem per Ventriculum deponere conatur, & quidem laudabili fine; cum hac ratione difficilem partum, vel plane abortum præcavere, atque avertere ſtudeat. Facit huc Hippocratis aſſertio: * ſterilibus ſanguinis vomitum ad concipiendum utilem eſſe; quamvis *Hollerio*

anno-

annotante, parum utique conferre obſervetur, niſi cuidam præ copia ſanguinis, aut largius fluentibus menſibus id accidat.

CAPUT V.

De Therapia.

CONvertimus nos tandem ad Curam, atque remedia ex triplici fonte, Chirurgico, Pharmacevtico, atque Diætetico depromimus, tum curativè, tum præſervativè eadem adhibendo, ubi ſecundum ſupra obſervatum ordinem progrediemur, ut I. Vomitus cruenti, à ſpontaneo Naturæ conatu, in actum deducti curam ſuſcipiamus, dein II. alterius etiam, violento modo coorti, habeamus rationem.

Quoad illum, in paroxyſmo quidem eo reſpiciendum eſt, ut orgaſmus ſanguinis temperetur. Obtinemus illud per remedia temperantia, demulcentia, motumque ſanguinis aliorſum ducentia: qualia ſunt abſorbentia: Oc. 69. mat. perl. Corall. atque nitroſa: ⦶ ♁tum, perlatum, ppt. aut ſaltem crudum, cum ⊖bus digeſtivis, 🜿ro ⊕t. Arcan. dupl. adhibita, quibus aliquid Cinnab. vel nativ. vel ♁ii, egregii alias motuum moderativi, addi poteſt.

Extra paroxyſmum eo allaborandum, ut I° ſanguinem ad alia derivemus loca, ordinariis evacuationibus reſtitutis, aut vicariis pro iiſdem ſubſtitutis; II° eundem ſi forte craſſitiem aut ſpiſſeſcentiam

ex

ex malo inveterato acquisivit, corrigamus, pristinam ipsi conciliando fluxilitatem; III° vias relaxatas ad debitum deducamus tonum.

Quod I^{um} Scopum attinet, in mulieribus, quibus menses imminuti, aut suppressi sunt, instituatur venæsectio in pede; quantam enim hæc vim habeat, non tantum menses revocandi, sed vomitum cruentum penitus tollendi, testis est *Forestus* in pluribus Observat. *Lib. XVI.* allegatis. Cui adstipulatur *Wedelius*, venæsectionem remedium saluberrimum esse, pronuncians, quo sine vix feliciter mederi huic malo liceat, quam in pedibus revulsionis causa peragendam esse, admonet. *Exerc. Path. Therap. V. Cap. II.* Adhibeantur insuper frictiones, atque ligaturæ dorificæ crurum, pediluvia, aliaque remedia, revocandis mensibus idonea; *mulieri siquidem sanguinem vomenti, menstruis erumpentibus, mali fit solutio*, secundum *Aphor. Hippocr.* 32. *Sect. V.*

Poterunt etiam specialiter magis hirudines partibus pudendis applicari. Non ultimæ siquid m hæ sunt efficaciæ, tùm mensium tùm lochiorum defefectui subveniendi. Observavit ultimum horum *Zacutus Lusitanus Med. Princ. Hist. Lib. I. Obs. V.* in muliere, ex retentis lochiis in phrenitidem prolapsa, à qua, cum neque venæsectione in talo, neque pedum scarificatione, neque hirudinibus ad loca hæmorrhoidalia applicitis mulier liberaretur, tandem quatuor utero immediate appositis hirudinibus, largaque sanguinis evacuatione secuta, patiens melius habebat. In alia quoq; ex pariter deficientibus lochiis Epilepsiam applicatione

D hi-

hirudinum mitigatam idem annotavit. *Lib. I. Prax. Admir. Observ.* 26.

Si ex hæmorrhoidum motu, aut suppressione oriatur vomitus, tunc utique egregium tam in virili, quam muliebri sexu præstant effectum. Notum illud erat Veteribus, qui in affectibus sanguinis congestioni in Vena portæ supervenientibus maximo cum usu easdem adhibuere. Vid. *Sennert. Prax. Lib. I. Part. II. Cap. XI. & XII. Fontan. Lib. I. Resp. & Curat. Dolæus, Forestus*, atque alii. Quod si autem ob minus consuetum usum detrectent nostrates hoc remedii genus, poterit magis generalis in pedibus institui evacuatio, commode illius vicem supplens, nisi quod quandoque non æque, ac prior sit efficax.

Prægnantibus semel, aut bis Vomitum cruentum perpessis, evacuationem sanguinis artificialem non commendamus, nisi adhuc insigniter sint plethoricæ: veremur enim, ne sufficiens fœtui alimentum detrahendo, vitam simul ipsi eripiamus. Sufficiat, iisdem justo tempore usurpasse remedia demulcentia, atque orgasmum sanguinis temperantia, tandemque specifica, leniterque adstringentia subjunxisse. Post partum tamen tempore æquinoctiali, non tantum ab his, sed omnibus etiam aliis, activo Naturæ conatu hunc affectum expertis, haud absque insigni utilitate, modò dicta venæsectio ad præservandum poterit in usum trahi, atque hac ratione recidivæ occasio præoccupari, atque præscindi.

Sacrificationes sicuti hominibus succulentiori, atque spongiosiori carne præditis, præcipuè conveniunt

niunt, ita ab iisdem vel continuari, si jam anteà huic excretionis generi sunt assueti, vel denuò in usum trahi possunt, hac tamen observata circumstantia, quòd partes, præcipuè inferiores, debeant scarificari, ex causa supra jam allegata: licet enim à quibusdam hæc locorum electio, post inventam jam sanguinis circulationem non amplius attendatur, sed emissio ejusdem indifferens judicetur, minus tamen hæc sententia approbanda videtur, quia aperte contra experientiam est directa; quandoquidem hæc demonstrat, quod sanguis per arterias motu cordis systaltico, æqualiter quidem ad partes propellatur, sed in una parte præ altera quandoque plus admittatur; prout nimirum, vel tonicè stricta, vel relaxata est quæque pars; unde excitato sensu in partibus inferioribus relaxatorio, majori sanguinis irruptioni sternitur via, atque à superioribus avertitur ejusdem impetus. Tantum de fonte Chirurgico!

Fons pharmacevticus, suppeditat nobis remedia II[æ] Indicationi, sanguinis nimirum grumescentis, aut mucescentis resolutioni, satisfacientia. Pertinent huc amara, & omnia partium tenuium extra paroxysmos aliis subjuncta, vel remixta: rad. helen. imperat. levist. pimpinell. Vincetox.. Hb. card. ben. absinth. fumar. scord. orig. scabios. fl. cent. min. chamom. sem. anis. fœnic. cort. citr. ☉or. succin. gum̃. ✱c. Ladan. Singula hæc debita dosi justoque adhibita tempore suam tuebuntur laudem, dummodo evacuatio sanguinis, antequam usurpentur, præcesserit, ut eo felicius effectum optatum possint præstare.

Ex eodem fonte prospicimus etiam III° Scopo,

 vaso-

vaſorum ſcil. dilatatorum, atque relaxatorum conſtrictioni, remediis tonicis, roborantibus, atque ſubadſtringentibus, inter quæ primum locum occupat millefolium, cujus egregiam & fere ſpecificam in hoc affectu efficaciam Excellentiſſimus *Stahl* in virgine periodicè hoc affectu laborante, expertus eſt. Vid. ejuſdem *Diſſert. de Mot. ton. vital. & Theor. Med. ver. Pathol. p. m.* 336. huic ſuccedunt torment. plantag. pyrol. ſanic, alchym. auric. mur. perfol. Dein huc referri merentur ⊖ia volat. urin. moderate atq; minoribus, quam vulgo fit, doſibus adhibita: ⁓ C. C. tinct. ♃ri, tinctura ♁ij, ⁓ Ebor. viper. &c. in malo recenti quandoque haud inutilia, ut & pulverulenta: ſpecies de hyacinth. trochiſc. de Carab. Corall. Croc. ♂tis cachect. *Zvvælfferi*, & quem *D. Ludovici in A. N. C. D. I. A. VIII. Obſ.* 65. ſub nomine ♁ii diaphoret. ♂tial. deſcribit, qui præ aliis uſitatis Crocis laudandi ad pauca grana cum ⦶ſis aut ⊖inis exhiberi poſſunt. Ubi quidem memori mente tenendum, quod talia medicamina, paroxyſmis demum finitis, aut inter paroxyſmos, ad præſervandum in uſum ſint vocanda, ne præpoſtere exhibita malum exaſperent potius, quàm mitigent.

Hiſce ſubordinentur, aut interponantur laxantia, humores deorſum ducentia. Palmam reliquis facile præripit Rhabarbarum, in ſubſtantia adhibitum, quod præter vim laxantem, tonica quoque, atque adſtringente gaudet, cujus frequentem uſum etiam *Fernelius Pathol. Lib. VI. Cap. III.* commendat.

Sequitur nunc Vomitus cruentus, à cauſa violenta productus; ubi, quando gravis vulneratio adeſt,

eſt, chirurgia manualis in auxilium vocanda: interne verò tum temperantia, tum ſubadſtringentia ſuperius ſubminiſtrata adhiberi poſſunt, quæ etiam in eo commendamus caſu, quando lumbrici ſunt in cauſa, ea tantum obſervata circumſtantia, quod hi ingrati hoſpites prius ſint enecandi, atque κάτω ejiciendi.

Quod ſi à purgantibus, aut Vomitoriis fortioribus cruentus ejuſmodi reſultet effectus, præter modo dicta, demulcentia, atque anodyna ſunt laudabilia, e. gr. tragacanth. gumm. arab. amyl. gelat. CC. cum momento Croci imbuta, Mithridat. Dam. Elect. Diaſc. Fracaſt. Theriac. Androm. ad ℥j. in Vin. generoſ. aſſumta, quam *Baglivius* ex *Dodonæo* tanquam infallibe remedium in hypercatharſi aut hyperemeſi prædicat.

Si tandem Vomitus cruentus Dyſenteriæ ſuperveniat, hæc eadem aliis antidyſentericis remixta, obſervata ſaltem convenienti methodo, poterunt uſurpari: ubi tamen admonitione opus eſt, circa uſum adſtringentium, ne ſcilicet iſta, antequam materia morbifica benè ſit expulſa, adhibeantur, omne hoc modo periculum à patientibus avertendo.

Subſiſtimus hic, Deoque T. O. M. pro præſtito auxilio humillimas nuncupamus gratias, omnesque impoſterum ſuſcipiendos labores ejuſdem directioni commendamus.

SOLI DEO GLORIA.

Quem

QUem magis exoptem Præſes, qui dignius iſtud
Nunc reſpondentis munus obire queat;
Quam Te, Mi SACHSI, ſtudioſæ Floſque, Decusque
Pubis, quam ſtudiis nunc Schola noſtra tenet!
Scilicet & propriæ Gentis Decus haud minus Ipſe es,
Ac ſolamen AVI, Deliciumque Tui.
Non feſtinatis ſtudiis, firmatis ſed, ſolidisque,
Artis ut hinc culmen, ſic & honoris adis.
Gratulor ergò Tibi de tantis dotibus, inde
Gratulor illuſtri tot meritis & AVO.
Gratulor & Genti de Te, Patriæque, mihique,
Sis olim nobis quodque merere, precor!

Gratulabundus ſcribebat
PRÆSES.

QUæ tua ſit virtus, & quanta induſtria, quàm ſit
Impiger in ſtudiis aſſiduusque labor,
Vel ſi tu taceas, *exoptatiſſime nobis*
Cognate, & Patriæ dulcis Alumne Scholæ,
Privatus paries & publica templa loquentur,
Doctorumque tuo limina trita pede.
Firmat idem non vana quidem ſed conſcia veri
Fama, nihil de Te ſecius auſa loqui.
Tute tamen, quamvis non ambitioſus, id omni
Fortiùs elogio ſplendidiùsque probas,
Et, pariter totâ Tibi ſuffragante coronâ,
De cathedra laudes adſtruis ipſe Tuas.
Addere ad has aliquid ſi nunc conarer, ineptus,
Deque domo teſtis non valiturus, eram.
Me tamen (ignoſcas) etiam Tua gloria pungit,
Inque pares laudes æmulus ardor agit.
Tu Medicas artes, ego legum dogmata ſector;
Nec tamen ambobus non ſcopus unus erit;
Olim poſſe alios ope conſilioque juvare,
Inde placere bonis, præcipueque DEO.
Hoc age, & huc paribus, *Sachſi chariſſime*, curis
Te comitante ibo, vel præeunte ſequar.

Hæcce Præcellenti & Nobiliſſimo Domino Reſpondenti in ſinceræ amicitiæ teſſeram apponere voluit, debuit, ejuſdem Conſobrinus & Amicus

Franciſcus Oeſinger, LL. C.

Con-

C*Onſobrine, tuæ clariſſime gentis Ocelle,*
Quem mihi fraternus conciliavit amor,
In me lætitiæ minimè mirabere ſenſus,
Quos tua in hoc animo fama ſecunda movet,
Hactenus egregiis multum conatibus aucta,
Nunc incrementis amplificanda novis;
Cum ſpecimen Medicâ ſolenniter edis in Arte,
Doctorum ſcandens pulpita, more Scholæ.
Me tibi permittes applaudere pectore toto,
Et ſimul ex fama participare tuâ.
O ſi fata tuos vellent ſupereſſe Parentes,
Quantus ab hac ipſis Prole rediret honos!
Nunc ego, ſi minus his, at certè gratulor Illi,
Qui Patris affectus implet Avique ſimul,
Et, tua dum firmat geminatis commoda curis,
Idem dulce Decus Præſidiumq; mihi eſt.
Nempe, ſatis novi, non Illi gratior ulla
Muſica tàm pulchrâ laude Nepotis erit.
Tu modò ſic pergas animum exhilarare Senilem;
Me quoque conari ſed patiaris idem.

Hæcce ſincero amicitiæ affectu ductus Nobiliſſimo Domino Reſpondenti occinit cognatus, amicusque intimus

Joh. Franciſcus Reiſſeiſen, LL. C.